



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata vt
Sacramento, & vt sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-vnctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De materia proxima Baptismi. 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

sed suo tempore consecrandus, & sanctificandus. Adde ex solo baptismo Ioannis, & promissione ab eo facta de baptismo Christi futuro dici possent aqua consecrata, & sanctificata, sicuti dicuntur Christo baptizato, si Christus Dominus eo tempore baptismum non instituit, sed solum promisit, & praefiguravit, quia baptismus Ioannis etiam fuit umbra, & figura baptismi à Christo instituendi, in superque nomine Dei eius institutionem promisit. Ergo si ob solam promissionem futuri baptismi, & illius figuram dicuntur aqua consecrata, & sanctificata, cum hanc promissionem, & umbram habeant ex baptismo Ioannis, & promissione futuri Christi baptismi, eodem modo consecrata, & sanctificata, & nostrorum peccatorum lauacrum dici debent. Quod nullo modo Patres concedunt. Signum ergo est consecratas, & sanctificatas fuisse, quia eo tempore fuit baptismus institutus. Quod si dicas sanctificatas, & consecratas esse, non solum quia eo tempore baptismum Christi instituendum praesignabant, sed etiam quia Christi contactu sacra factae fuerunt, & dignae factae, ut in lauacrum peccatorum nostrorum assumerentur: Obstat, quia contactu Christi non aqua absolute, sed illa numero aqua Iordanis, quae ipsum tetigerunt, essent sanctificatae. At Patres Ecclesiae affirmant baptismum Christi aquam absolute sanctificatam esse. Igitur non de sola sanctificatione per contactum, sed de sanctificatione per baptismi institutionem intelligendum est. Adde saepe Christum Dominum in vita sua aquas tetigisse, ob cuius contactum dignae erant, ut in lauacrum nostrorum peccatorum assumerentur, sed non obinde à sanctis Patribus sacrae, & sanctificatae censentur, sicuti censentur in hac occasione baptismi: Ergo ob baptismum ibi institutum.

6. Superest satisfacere fundamentis num. praecedenti adductis ex quorum solutione nostra sententia firmior existit. Ad primum concedo Christum Dominum suscipientem Ioannis baptismum personam poenitentis gessisse, at postmodum instituentem baptismum, & Ioannem insuper baptizantem personam gessisse legislatoris. Neque obstat non inchoasse praedicationem suam, neque discipulos collegisse. Voluit namque ab ea institutione inchoare, ut inde probaret baptismum vitae spiritualis radicem, & fundamentum esse. Neque illa institutio secreta, & occulta fuit, sed satis publica, sicuti fuit baptismus Ioanni collatus, quem ex pluribus Patribus testatur Maldonar. in illa verba *Matth. 3.* sine modo, quemque sequitur *Vasq. dicta disp. 140. cap. 6. circa finem n. 45.* Fateor tamen ex solo baptismo Ioannis Christo colla, & mysterij Trinitatis manifestatione non satis colligi huius sacramenti institutionem. At ex autoritate Patrum affirmantium eo baptismo aquas sanctificatas, & consecratas esse in nostrorum peccatorum lauacrum optimè colligi, praecipue cum paulo post discipuli Christi baptizarent non baptismo Ioannis, ut probatum est, sed Christi baptismum. Neque appareat quo tempore illius fuerit institutio.

7. Quod si inquiras discrimen nostri baptismi à baptismo Ioannis? Breuiter, & optimè illud expendit Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 2. n. 7.* Inquit enim: Baptismus Ioannis differt à baptismo Christi, primo in institutione; quia baptismus Ioannis non fuit institutus in sacramentum, hoc est in caeremoniam stabilem ad hominum sanctificationem, sed solum, in dispositionem, & figuram nostri baptismi, quo instituto, & promulgato cessat. Secundò differt in forma, quia baptismus Ioannis non conferebatur sub inuocatione sanctissimae Trinitatis, sicuti noster baptismus confertur. Tertio quoad effectus, quia non conferebat gratiam sanctificantem ex opere operato, neque characterem imprimere, quod secus in nostro baptismo contingit. Ex quo nascitur quarta differentia scilicet baptismum Ioannis insufficientem fuisse ad salutem, illoque baptizatos indiguisse Christi baptismum. Quinto differt in ministro, quia baptismus Ioannis à solo Ioanne ministrabatur, at noster baptismus à quolibet ministrari valet. Tandem differt in necessitate, quia Ioannis baptismus nec necessitate medij, nec fortè praecipit fuit ad salutem necessarius, secus noster.

PUNCT. III.

De materia remota baptismi.

1. Aqua naturalis apta ad abluendum est materia remota.
2. Quae excludantur à materia baptismi.
3. Aqua inepta ad abluendum excluditur.
4. Aquam esse maris, fluminis, vel fontis frigidam, vel calidam per accidens est.
5. Vti aqua turbida, & impura ad baptismum absque graui necessitate peccatum est mortale.

1. **F**ides docet pro materia baptismi aquam naturalem, seu elementarem aptam ad abluendum designatam esse à Christo Domino. Sic definitum est in *Concilio Latera-*

nen. relato in cap. firmiter de summa Trinit. & in Concilio Florentino in decreto Eugenij 4. de Armenis, & in Triad. sess. 7. can. 2. colligitur quod ex illo Ioannis. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. & tradunt omnes Catholici. Ratio huius institutionis creditur esse, quia hoc Symbolum aptissimum est ad significandam animi munditiam, & ex alia parte ob eius redundantiam omnibus peruium, ut sacramentum ita necessarium facile administrari possit.

2. Hinc fit non esse materiam huius sacramenti sudorem, lac, vrinam, lachrymas, sputum, seu saliuum, aquam rosaceam, seu ex viti, aliisque herbis, & floribus expressam. Item ex sale resolutam, ceruisiam, & iulculum, si satis decocta sint, quia nec censentur, nec sunt aqua naturalis, seu elementaris, Sic docent cum D. Thom. *q. 66. art. 4. ferè omnes doctores teste Vasqu. disp. 141. cap. 1. circa finem. Suar. disp. 20. sect. 1. Aegid. de Coninch. q. 66. art. 4. Paulo Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 3. Verum quia aliquoties probabile est liquores ex herbis expressos, saliuum, & aquam ex sale resolutam, ceruisiam, & iulculum, si satis differre specie ab aqua elementari, non audeat Aegid. de Coninch. condemnare eum, qui supradictis in extrema necessitate vteretur, quia extrema necessitas huius sacramenti honestat usum materiae ita dubiae.*

3. Notanter dixi materiam huius sacramenti esse aquam aptam ad abluendum: quia hoc sacramentum in ablutione consistit, eaque de causa lutum, glacies, & nix nisi resoluatur, materia huius sacramenti non sunt, quia esto ab aqua elementari non differant physice, differunt moraliter quoad usum ob ineptitudinem, quam ad lauandum habent. Sic Aegid. de Coninch. *q. 66. art. 4. n. 17. Suar. disp. 20. sect. 25. art. que hinc obiter. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 3. n. 6. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 3. concl. 2. corol. 1. & alij.*

4. Quod verò aqua sit fluminis, fontis, vel maris, frigida, vel calida parum interest, imò quod per terram sulphuream, vel cineres calefactos transierit, & turbida sit, non obinde deficit à materia huius sacramenti: quia est vera aqua naturalis apta ad abluendum, esto ad bibendum apta non sit. Sic D. Thom. *q. 66. ad 4. Vasqu. disp. 141. cap. 1. n. 9. Bonac. d. punct. 3. n. 6. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. cap. 3. concl. 1. in corol.*

5. Aduerte tamen vti aqua impura & turbida ad baptismum conficiendum absque necessitate graui peccatum mortale esse sacrilegij nam esto sit huius sacramenti materia certa, est tamen aliena ab usu Ecclesiae, & contraria reuerentiae sacramenti. Adde vti alia aqua praeter aquam benedictam, quae in fonte baptismali ad hunc effectum seruetur, peccatum graue est, ut satis colligitur ex *Clement. unica de baptismo*: ob necessitatem tamen urgentem cuiusvis aquae usus licet: sic notauit Aegid. de Coninch. *qu. 66. art. 4. Reginald. lib. 27. num. 13. Henric. lib. 2. cap. 6. Bonac. disp. 2. qu. 2. p. 3. nu. 6. & alij.*

PUNCTUM IV.

De materia proxima Baptismi.

1. Ablutio est materia proxima.
2. Fieri potest immersione, aspersione, vel effusione. Sed in his seruanda est diuina consuetudo.
3. Qualiter formam baptismi proferre debes consciens sacramentum trina immersione.
4. Minimam guttam aquae, si minimam corporis partem tangat esse sufficientem ad sacramentum baptismi, qui defendunt, & qualiter probent.
5. Probabilius est aliquam partem corporis principem ablui debere, & non vna sed pluribus guttis.
6. Aqua immediate tangere debet corpus baptizati successiuo motu.
7. Satis est probabile te esse baptizatum, si lauaris in capillis.
8. Idem dic si lauaris corio, seu pelle secundum circumdatus.
9. Immersione, qua quis suffocatur, baptismum non confici plures defendunt.
10. Contrarium est probabilius.
11. Rationes num. 9. adductae dissoluantur.
12. Semper est illicita supradicta baptismi ministratio.
13. Non est secunda mater etiam proximè mortura, ut infans baptizetur.
14. Bene poteris ministrare baptismum infanti, esto cognoscas inde mortem accelerandam aliquoties esse.

1. **S**uperiori puncto dixi materiam remotam esse aquam, ut indicarem aliam esse proximam, scilicet ablutionem per ipsam, iuxta illud ad *Ephes. 5.* mundans lauacro aquae & *Matth. 28.* baptizantes eos, id est lauantes. Ratio est manifesta. Nam illa est proxima, & immediata sacramenti materia, quae per formam illius determinatur; at forma sacramenti baptismi non aquam secundum se, sed aquae usum, scilicet ablutionem determinat. Id enim significat verbum *bap-*

1. *prigo*, quod latine est abluo, seu lauo. Sic ferè omnes doctores. 2. Hæc ablutio, quæ in contactu successiuo aquæ ad corpus baptizati consistit, fieri potest per immersionem corporis in aquam, vel per asperersionem, seu effusionem aquæ in corpus, quomodo cumque hoc fiat, verum sacramentum conficitur, quia verè quis abluor censetur. Vt tamen licitè ministraretur seruanda est Ecclesiæ diocesana consuetudo: nam in aliquibus Ecclesiis adest consuetudo baptizandi per immersionem, in aliis per effusionem. Non tamen caret probabilitate peccatum mortale non esse, sed veniale tantum vti effusione aquæ in conficiendo baptismate, tamen si consuetudo sit, vt per immersionem conficiatur, quia postquam cessauit præceptum trinae mersionis, censetur mutatio leuis nec aliena ab vni Romanæ Ecclesiæ, maxime in adultorum baptismo. Sic docuit Sorus in 4. disp. 10. q. vn. art. 8. conclus. 3. Bartholom. ab Angelo de Sacram. baptismi dialogo. S. 2. 92. Valent. 1. 4. disp. 4. q. 1. pun. 2. col. 4. Notandum verò est tempore nascens Ecclesiæ confici hoc sacramentum trina mersione, vt ex multis comprobatur Valq. q. 66. art. 8. disp. 145. cap. 1. tum vt expressus triduaana sepultura Christi Domini significaretur. Tum vt mysterium Trinitatis non solum verbis, sed factis exprimeretur, Tum præcipuè, contra errorem Eunomitarum, aliorumque hæreticorum affirmantium debere vnica mersione fieri in nomine Christi, ex clausa Trinitatis invocatione. Ad huius trinae mersionis vltus non tanquam ritus essentialis & à Christo institutus, sed tanquam ab Apostolis emanans præscriptus erat, eaque de causa Pelagius Papa relatus in cap. multi sunt de consecrat. disp. 4. Dixit esse Euangelicum præceptum trina vti mersione, id est præceptum Euangelio conformè & can. Apost. 49. deponitur qui aliter baptizauerit. Sed iam hoc præceptum cessante errore Eunomitarum abolutum est pluribus enim in locis vnica tantum mersione conficitur baptismus, vt constat ex Gregor. Papa relato in cap. de trina de consecrat. disp. 4. & ex Concilio Tolet. 4. cap. 5. & sic licitè fieri potest. Egid. de Coninch. q. 66. art. 8. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. q. 3. in fine.

3. Quod si aliquis conficiens baptismum trina mersione intentionem haberet non conficiendi sacramentum, quousque trina mersio perficeretur, oporteret vsque ad illud tempus formam prolationem differri. Nam si ante secundam, vel tertiam mersionem formam integrè profertur cum intentione conficiendi sacramentum, sine dubio conficeret, quia de essentiali baptismi non est trina mersio, sed ablutio, quæ vnica mersione perficitur. Quod si expressè vellet non conficere sacramentum vnica mersione, sed triplici (quod de nemine, credendum est.) sacramentum non perficeretur, quousque trina mersio perfecta esset, non quidem ex defectu materiae, & formæ, sed ex defectu intentionis: sic pluribus firmat Bonac. disp. 2. q. 2. p. 3. in fine.

4. Difficultas est qualis debeat esse mersio, seu aquæ infusio, vt baptismus perfici censetur? Qua in re certissimum est eam mersionem, seu affusionem aquæ in corpus baptizati sufficientem, & necessariam esse, quæ sufficit, vt quis ablutus dicatur. Sed qualiter hæc fit? non constat inter doctores. Plures non infimæ notæ censent ex parte aquæ minimam guttam aquæ sufficientem esse, si successiuo motu corpus tangat, quia vera est ablutio. Ex parte baptizati minimam illius partem sufficere, quia eo ipso ablutus dicitur. Sic docent alii relatis Henriq. lib. 2. c. 7. n. 2. & c. 21. n. 4. Valq. disp. 145. c. 4.

5. Nihilominus probabilis est requiri baptismum fieri in aliqua parte corporis principe. v. g. in capite, pectore, scapulis, brachio, aut pede: factum verò in digitis, vel in sola manu insufficientem esse: sic pluribus relatis firmat Bonac. disp. 2. q. 2. pun. 3. n. 24. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. conclus. 2. corol. 3. Egid. de Coninch. q. 66. art. 7. dub. 2. Tolet. lib. 2. c. 18. n. 8. Ratio est, quia iuxta communem modum loquendi non dicitur quis lotus ex eo quod digitus tantum abluatur, tamen si vulneratus dicitur, esto in digito tantum vulnus accepit. Verum est tamen baptismum ministrandum esse infanti ex vtero matris egredienti in manu vel digito, si in alia parte corporis ministrari non potest, ob periculum moriendi absque baptismum, quia saltem est probabile baptismum in ea parte corporis factum validum esse, repetendus tamen postea est sub conditione.

Deinde probabilis censetur vnica, vel duas aquæ guttas corpus tangentes etiam successiuo motu insufficientes esse ad baptismum conficiendum quia ex illis solum aspersus, & aqua tactus, sed non lotus dicitur secundum vstratum loquendi modum. Sic Tolet. Bonac. Paul. Laymann. Egid. de Coninch. locis citatis.

6. Illud iudicatum est debere aquam sine in minima, sine in magna quantitate corpus baptizati immediatè tangere contactu successiuo, quia alias proprie lotus dici non potest. Vnde non est baptismus, si vestibus, & sicut, vel vtro contentus absque carnis penetratione aqua perfundatur, quia proprie non tu, sed tue vestes, & indumentum aqua perfunduntur. Sic Bonac. disp. 2. q. 2. pun. 3. num. 22. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. conclus. 2. corol. 1.

7. An verò si lauari in capillis, censetur absolute lotus, & baptismus confectus? Variant doctores. Bonac. loco citato negat ex communi sententia, quia capilli non sunt partes hominis, sed illius excrementum, neque animo rationali viuificati. Non igitur ex eorum lotionem lotus dici potest, & animus rationalis sanctificatus. Nihilominus contrarium est satis probabile, quia capilli dum corpori adherent censendi sunt partes hominis illum ornantes: & ita tradit Valq. disp. 145. cap. 4. n. 31. Egid. de Coninch. q. 69. art. 7. dub. 2. n. 77. Tolet. lib. 2. cap. 18. n. 10. Valent. 1. 4. disp. 4. q. 5. pun. 2. vers. sexto sequitur, & alij, quos refert Bonacina supra. n. 22.

8. Idem quod dictum est de baptismum factum in capillis, dicendum est de baptismum illius, qui recentè natus est, & pelle secundina circumdatus, quia dum hæc pellis corpori adheret, censetur pars hominis esse, ac proinde sufficiens, vt eius lotionem homo lotus esse dicatur. Sic Valq. & Egid. supra. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. cap. 3. q. 2. Nunquam tamen extra necessitatem licet tibi sic ministrare baptismum, quia nunquam extra necessitate potes vt materia dubia, cum certam sumere possis, baptismum usque cessante necessitate est omnino sub conditione repetendus, vt est compertum apud omnes.

9. Superest discutienda illa quæstio an in ea immersione, qua suffocatur infans, baptismus confici possit? Negant Scotus in 4. disp. 5. q. 3. Siluest. verbo baptismus. 4. n. 8. Tabiena 5. n. 7. Armilla n. 29. Tolet. lib. 2. c. 18. n. 9. Sorus in 4. disp. 3. art. 8. q. vnica propositi. 2. & alij plures: mouentur primò, quia ea immersio non est vera ablutio, de cuius ratione esse videret, vt in aquam immersum ex aqua educas. Secundò quia solum significat Christi mortem, non eius resurrectionem, cum tamen baptismum vtriusque significatio competat. Tertio illa immersio potius est occisio, quam viuificatio: non igitur est sufficiens baptismi materia.

10. Ceterum eam mersionem sufficientem esse ad baptismum tenendum est vt probabilis cum Panormit. in cap. nonne apponeres n. 4. de Baptismo. Valent. 1. 4. disp. 4. q. 1. p. 2. vers. septimo sequitur. Valq. disp. 145. cap. 3. n. 19. Coninch. q. 66. art. 7. dub. 1. n. 68. Bonac. disp. 2. q. 2. pun. 3. n. 27. Suar. disp. 20. sect. 3. vers. quapropter, Paulo Laymann. lib. 5. tract. 2. 6. q. 4. & alij apud ipsos. Ratio est, quia lauari, & mundari potes supra dicta mersione, antequam ex aqua educaris, & moriaris. Ergo educationis priuatio, & suffocatio lotionem non impedit. Ergo nec impedit baptismum, qui in lotionem sub præscripta verborum forma consistit. Antecedens probò, quia ea mersione te aqua tangit successiuo motu de se sufficiente ad sordes corporis mundandas. Ergo est vera lotio. Et confirmo. Si minister cum conficit baptismum se in flumen proiciendo voluntatem haberet ex aqua educendi, nullus negaret eam mersionem esse veram lotionem ad baptismum sufficientem, tamen casu contingeret, vt ex eius manibus lapsus submergatis, vt bene ipse Sorus pro contraria sententia relatus concedit: sed intentio educationis mersionem non immutat. Ergo si vno casu vera lotio sufficiens ad baptismum, etiam in alio debet esse. Confirmo secundò, si animo tum baptizandi, tum occidendi infantem aqua feruenti perfundatur, absque dubio baptismum conficitur: quia occisio lotioni non obstat. Ergo similiter suffocatio, lotioni factæ per immersionem non obstat.

11. Neque rationes contrariæ vigent. Ad primam constat ex probatione nostræ sententiæ: negamus enim educationem pertinere ad essentialiam ablutiois, tamen si communiter educationem cum mersione coniuncta sit. Ad secundam concedo baptismum significare Christi mortem, eiusque resurrectionem: quatenus baptizatus eo baptismum suscepto veterem Adam seipellit, & nouum induit, moritur peccato, & Christo viuunt, ad cuius significationem sola immersio, quæ corpus abluat sufficiens est. Ad tertiam admitto baptismum viuificare, sed nego per se viuificare corpus, sed animum per gratiam, & charitatem: cui vitæ non obstat corporalis vitæ priuatio succedens.

12. Illud verò est omnino certum hanc baptismi ministrationem proiciendo baptizandum in flumen vel puteum, esse illicitam, & graue peccatum homicidij, tamen alia via infanti ministrari baptismum non potest, & timeatur statim moriturus: quia ea immersio aquæ per se, & directè tendit ad occisionem, ac ad infantis ablutioem, imò potius ad ablutioem per accidens dirigitur ex sola intentione mergentis, ad occisionem autem per se, & directè. Vnde hic casus est longe diuersus ab eo, qui oppugnans ciuitatem bellicum tormentum proicit, quo cognouit ibi astantem innocentem esse occidendum, & ab eo qui fugiens mortem sibi imminentem, puerum in via positum pedibus equi conculcat, & à muliere prægnante, quæ potionem sumit, ex qua præcideret infantem in vtero moriturum: quia mors ex his euentibus contingens contingit per accidens, cum per accidens sit eo loci esse innocentem, quo bellicum tormentum proicit, & qua mortem tibi ab inimico imminentem fugis. Nequidem ex bellici tormenti projectione, neque ex fuga, neque ex sumptione potionis ad salutem conuenientis mors alicuius per

se infertur, sed soluta per accidens. Secus est ex immersione infantis in flumen, vel puteum: ex hac enim per se directe, & necessario mors infantis succedit. Non igitur esse potest licita. Et ita sufficienter ex communi sententia Suar. disp. 20. sect. 3. Valq. disp. 145. cap. 3. in fine. Egid. de Coninch. q. 66. art. 7. dub. 1. n. 75. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. q. 4.

13. Hinc infertur non esse secundum matrem aliis proximè mortuam, vt infanti in utero illius existenti ministrari baptismus possit, quia nemini licet homicidium perpetrare, tametsi inde plura bona nascantur. Sic Egid. de Coninch. disto. dub. 1. n. 75. affirmans esse omnium.

14. Ex his constat, quid dicendum sit, an tibi liceat baptismum infanti proximè morturo ministrare, ex cuius ministratore cognoscis mortem accelerandam esse? Respondeo primo cum doctoribus statim referendis casum mortaliter esse impossibile: nam cum baptismus minima aquæ re facta effusione confici possit, vix credi potest ex ea mortem accelerandam esse. Sed gratis admissio accelerari, respondeo baptismum administrandum esse. Tum quia non per se, sed per accidens ex illa actione mors succedit, cum per accidens sit prædicta baptismi administrationi baptizandum in ea esse dispositione, vt actio ita humana, & temperata illi nocere possit. Tum quia nocumentum illud ita leue contemnendum est, ne baptizandus in æternum pereat. Sic tanquam certum tradit Valq. disp. 145. cap. 3. in fine. Egid. de Coninch. q. 66. art. 7. dub. 1. n. 76. in fine. Paul. Laym. alius relatu. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. q. 4.

P V N C T U M V.

De forma Baptismi.

1. Statuitur forma baptismi.
2. Opus est ad baptismum exprimi personam baptizantem.
3. Negat Valq. exprimi sufficienter, si dicas: baptizet te Deus, vel baptizetis à Deo.
4. Probabilius est oppositum.
5. Secundum ad baptismum requiritur expressio persona baptizanda.
6. Ex unitate persone baptizanda unitas baptismi desumitur.
7. Quoties possunt plures unum baptizare.
8. Tertio requiritur expressio ablutiois.
9. Quarto necessaria est expressio unitatis, & Trinitatis diuina.
10. Sufficitne implicite Trinitatem exprimere? Affirmant plures.
11. Probabilius est oppositum.
12. Explicentur aliqua loca scripturæ, quæ contrarium suadere videntur.
13. Explicatur Nicolaus in cap. à quodam de consecrat. disp. 4.
14. Affirmant plures sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque baptismum valide confici posse, tametsi non licite.
15. Probabilius est oppositum.
16. Fit satis oppositio rationibus n. 14. adductis.
17. Quæ variatio forma essentialis sit, quæ non late expenditur.
18. Variatio forma consecratiuæ diuina aduersus illicita est.

Forma baptismi, qua Ecclesia Latina vtitur hæc est. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sic Alexand. 3. in c. 1. de Baptismo. Concilium Florent. in decreto Eugenij. Trident. sess. 7. can. 1. & sumitur ex illo Math. cap. ult. Docere omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sic omnes doctores. Ex qua forma manifestè colligitur quatuor exprimi necessario debere, primò baptizantem, secundò baptizatum, tertio actionem baptizandi, quartò unitatem, & Trinitatem diuinarum personarum.

1. Circa primò certum est ad baptismi essentiam opus esse exprimi personam baptizantis, non tamen esse necessarium, vt expressè, & formaliter exprimat, sufficit implicite, sicuti manifestè probat vsus Græcorum baptizantium sub ea forma. *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quam esse veram formam baptismi docent omnes Catholici. Adde si omisso pronomine Ego, dices, *te baptizo*, non est dubium veram formam baptismi proferre, quia satis aperte sub verbo baptizo significatum pronominis subintelligitur. Hoc pronomen etsi nunquam omitendum sit in Ecclesia Latina ob consuetudinem præscriptam, non videtur culpam venialem excedere secluso contemptu, eius omisso, teste Soto in 4. dist. 3. q. vnic. art. 5. quod se Valq. disp. 142. n. 30. Egid. de Coninch. q. 66. art. 6. dub. vñ. n. 25.

2. Sed dubium est, an sufficienter minister baptizans se exprimat, si dicat: *baptizet te Deus, vel Christus, baptizetis à Deo, vel Christo?* Negat Valq. disput. 142. cap. 2. num. 19. & cap. 3. n. 27. Mouetur primò, quia ibi solum exprimit Christum, vel Deum baptizare, non tamen se illius nomine baptismum conferre. Secundò, quia forma baptismi non deprecariue, sed imperatiue proferenda est: at in Deum imperium diri-

gi non potest, ergo nequit minister imperando dicere *baptizet te Deus*. Item inepè Deum baptizare potest in nomine Patris, id est, authoritate Patris, &c. sed id ministro conuenit. Non igitur per illam formam validus baptismus confici potest.

4. Cæterum oppositum probabilius censio cum Soto in 4. dist. 3. q. unica, art. 5. colum. 5. Henric. lib. 2. cap. 8. n. 3. Suar. disp. 21. sect. 2. concl. 2. Egid. de Coninch. q. 66. art. 6. dub. vnic. n. 38. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. vers. quapropter. Nempe supradicta forma stante actione baptizandi sufficienter exprimi personam ministris, verumque confici baptismum. Etenim cum potestas delegata sit à Christo Domino docendi gentes, & baptizandi eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, exprimens minister, vt Deus eas baptizet clarè denotat vt Deus per illum eam ablutioem exercentem tanquam per suum ministrum baptizet: sicuti si à principe quis accepit potestatem distribuendi aliquam pecuniam, in quibus vellet, & cum illam distribuit, diceret, hanc pecuniam princeps tradidit vobis, sanè non solum sui principis donationem, sed suam propriam ministerialem traditionem significaret. Ex qua ratione constat imperium hæc forma significatum, quod propriè imperium esse non potest. Sed vsus absolutus potestatis concessæ circa creaturas irrationales non ad Deum, sed ad ablutioem, & effectum per ipsam significatum dirigitur, præstaturque hinc ablutio, ablutio à Christo tanquam à principali causa, & sacramentorum auctore & à me tanquam eius ministro, Secundum hunc vltimum sensum non inepè dicitur Deum in nomine suo baptizare, quatenus scilicet baptizet medio ministro per potestatem illi collatam.

5. Secundum ad essentiam baptismi requisitum est expressio persone baptizande: si enim illam nec speciatim, neque generalitè exprimas, directè nullus est baptismus. Quia nulla esset formæ determinatio, sicuti, si diceres. Ego baptizo in nomine Patris. Ad baptismum enim necessario requiritur expressio, & determinatio persone baptizande, vt ex ea expressio facis constet neminem esse ipsum, sed alium à deo, & factum baptizare. Quod fieri non potest, nisi speciatim seu generalitè directè tamen persona baptizanda exprimat. Exprimatur autem speciatim, si dicas. *Ego te baptizo, Ego baptizo Cuius generatim, si sub forma Græcorum baptismum conficias, vt si dicas: baptizo seruus Christi, seruus Christi baptizetur.* Sic testatur ex communi sententia Valq. disp. 151. c. 3. Suar. disp. 21. sect. 2. concl. 3. Henric. lib. 2. cap. 8. num. 4. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. cap. 4. num. 2. vers. secundo accidit. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 2. sumiturque ex illis verbis Math. ult. Baptizantes eos, & clarè colligitur, ex Concilio Florent. & Trident. locis sæpe citatis.

6. Aduertendum est unitatem baptismi potius ex unitate persone baptizande, quam baptizantis desumi: si enim sub vnicâ Trinitatis inuocatione plures aqua perfunderes, plura baptismata conficeres, quia sunt plures ablutioes, & licet physice, & formalitè vnicam Trinitatis inuocationem feceris, virtualitè fecisti multiplicem, multiplicemque formam baptismi constituisisti. Secus vero est si te ipsum plures baptizarent, quia eo casu vnica tantum baptismus conficeretur, quia vnica est ablutio. sic Valq. disp. 148. c. 7. num. 52. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 4. num. 22. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. vers. ex quo.

7. Sed non caret difficultate, qualiter possent plures vnum baptizare? Etenim si inter eos actiones diuidantur, ita vt vnus abluat, alter formam proferat, manifestum est baptismum confici non posse, de cuius essentia est, vt ab eo, qui proferat formam, ablutio fiat. Si vero vterque & formam proferat, & aqua baptizandum perfundat, subdistinguentum est si vterque independenter ab altero baptismum conficere intendit, sicuti contingit in ordinatione, cum plures sacerdotes simul cū Episcopo verba consecrationis proferunt, vterque conficere eundem baptismum, sicuti eandem hostiam consecrat, si vterque verba formæ in eodem instanti perficit: quod raro contingere potest. At si posterius perficit formam, nihil faciet, quia inuenit iam baptismum ab alio confectum, sicuti contingit in eo, qui posterius verba consecrationis perficit, hic enim materiam non consecrat, cum eam consecratam inueniat. Verum si vterque intendat non conficere sacramentum, nisi dependenter ab alio, nullo modo baptismum conficere possunt, quia sensus formæ à Christo institutæ mutatur. Non enim est verum te baptizare, sed te cum alio baptizare. Neque est verum tuam ablutioem, & formæ prolationem esse sufficientem, sed potius esse insufficientem, nisi alterius ablutio, & prolatio formæ concurrat. Quæ omnia contraria sunt institutioni Christi determinantis vnus ablutioem, & formæ prolatione baptismum confici posse: sic docent D. Thom. q. 67. art. 6. & ibi Coninch. dist. 1. Valq. cap. 5. n. 39. Valent. disp. 1. q. 2. punct. 2. Suar. de sacram. disp. 23. sect. 3. Bellarm. de baptism. cap. 3. Bonac. alius relatu. disp. 2. q. 2. punct. 4. num. 25. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. cap. 7. q. 2.

8. Tertium quod diximus ad baptismum requiri, est expressio actus ablutiois à ministro pronouentis legitima intentione facti, iuxta illud Christi, *baptizantes eos*: nisi enim